# IN XPI NOMINE IN
## CPT PRAEFATIO GREGORII
## TORONICI EPISCOPI PRIMA FELICITER

Decedente atque immo potius pereunte ab urbibus gallicanis liberalium cultura litterarum cum nonnullae res gererentur recte et inprobe ac feritas gentium desaeviret regum furor acueretur et aeclesiae inpugnarentur ab hereticis a catholicis tegerentur ferveret Christi fides in plurimis tepesceret in nonnullis ipsae quoque ecclesiae vel ditarentur a devotis vel nudarentur a perfidis nec repperire possit quisquam peritus dialectica in arte grammaticus qui haec aut stilo prosaico aut metrico depingeret versu; ingemescebant saepius plerique dicentes: Vae diebus nostris quia periit studium litterarum a nobis. Nec repperitur in populis qui gesta praesentia promulgare possit in paginis. Ista etenim atque et his similia iugiter intuens dici pro commemoratione praeteritorum ut notitiam adtingerent venientium etsi inculto affatu nequivi tamen obtegere vel certamina flagitiosorum vel vitam recte viventium; et praesertim his inlicitus stimulis quod a nostris fari plerumque miratus sum quia philosophantem rhetorem intellegunt pauci loquentem rusticum multi. Libuit etiam animo ut pro supputatione annorum ab ipso mundi principio libri primi poneretur initium cuius capitula deorsum subieci. EXPLICIT PRAEFATIO GREGORII

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI SEQUENTIS OPERIS

I De Adam et Eva — VIII De Isaac et Esau et Iob et Iaccob
II De Cain et Abel — VIIII De Ioseph in Aegypto
III De Enoch iusto — X De transitu rubri maris
IIII De diluvio — XI De populo in deserto et Iosue temporibus usque ad David
V De Chus adinventore statuculi — XII De captivitate populi Israhelitici et generatione
VI De Bebilonica — XIII De Salomone et aedificatione templi
VII De Abraham et Nino — XIIII De divisione regni Israhelitici

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/ubhd_cpl864/0008